Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

§5

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

Dices in articulo mortis Licitum non est sivè negativè sive positivè scrupulis contra agendo resistere; ergo nec extra articulū mortis seu in vita.

Ad hoc sic respondet Sylvester verbô scrupulus: In illo articulo multa faceret homo, quae tamen necesse non est, nec expedit facere in vita; quia homo tandem desperaret, vel fatuus fieret. haec ille. Nihilominus dico cum Laym et aliis, etiam tunc scrupulos contemnendos esse; ac contra eos agendum, quos videlicet neq; justus judex judicaturus est.

hic c. 6. [illegible]

§. 5tus

Proborum virorum imitatio.

Quintum remedium est, ut scrupulosus aliorum proborū hominum exemplū sibi ob oculos ponat, ac persuadeat, eorum viuendi normam suarum actionum esse regulam. Vnde cū incipit dubitare de honestate suae actionis, metuens Deum per eam forsan graviter offensum iri, tunc inspiciat et faciat secundum exemplar proborum virorum.

Notanter dixi graviter offensum iri; nam si fluctuatio

versetur circa materiam Levem, de qua nempe dubitat, an sit peccatum saltem veniale nec ne; tunc fatendum est, quòd proborum vitam, agendiq; consuetudinem perpetuò imitari non possit, nec debeat, nam justus in die septies cadit. prov. 24. Atq; in multis offendimus omnes. Jac. 3.

Et in hoc multi errant, ac à via perfectionis deviant, dum enim sibi falsò persuadent absq; periculo ullius peccati etiam venialis se posse omnem semitam, modum ac consuetudinem viuendi à probis Viris usitatam sectari, accidit, ut quibusdam vitiosis habitibus, aut inordinatis affectibus atq; imperfectionibus inquinentur, quibus afficiuntur ii, quos ceu probos viros se posse imitari autumant, quò fit ut huiusmodi scrupulosi nunquam ad tranquillæ conscientiæ ac vitæ innocentioris statum pertingant, ad quem eos Deus perduxisset, si maiori discretione usi fuissent, ac eius, quod mox subiiciemus, remedii usum sibi magis familiarem reddidissent.

Ceterum praestabit etiam, ut scrupulosus quandoqs se ipsum sibi repraesentet, praesertim si sit vir doctus, suamq mentem investiget, quid nempe consilij sibi alijs in simili casu consuleretur, daturus esset: solent enim plerumqs scrupulosi in alienna causa prudenter ac sine formidine judicare; et tunc hoc ipsum, quod alijs daturus esset, consilium tutâ conscientiâ amplecti poterit.

§. 6tus
Sacrarum Scripturarum Lectio

Sextu remedium est, ut scrupulosus lectioni librorum tum dogmaticorum tum mysticorum, si dummodo in literis eruditus sit: diligenter incumbat; cum enim scrupulus ut plurimum oriatur ex ignorantia, sicut supra dictum est, sic scrupulosus suo malo melius mederi non poterit, quam consulendo ac revolvendo Scripturas sacras, praesertim de doctrina morum tractantes; hoc enim modo eò tandem deveniet, ut per semet ipsum discernere sciat inter Lepram et Lepram, inter vitium ac virtutem, inter perfec-